

subituros diceret; id nisi expedire arbitraretur, quammaxime posset de eorum causa componenda negotium urgeret, cum res eo deductæ forent, ut obsidionem ultra januarium mensem sustinere non possent.

Dum hæc in Italia gererentur, ut singulis annis fieri consueverat, licet tunc in Syria Suleimanus esset, quinquaginta triremum classis sub Dragutis imperio Helleponto egressa, Aegæi, atque Ionii maris oras emensa, se in Adriaticum sinum intulit, atque ad Corcyram nigram usque pervenit; deinde in Apuliam delata, Vesta direpta, atque incensa, in Tyrrhenum mare se proripuit. Dragutes, nulla re præclare gesta, Christianorum tantum ingenti præda avecta, Byzantium, exeunte autumno, reversus est. Eo in itinere multa, & gravia Venetorum rebus damna attulit, quæ classis legati acre studium avertere non potuit: quod Dragutes amicitiae nomine, quæ Suleimano cum Venetis intercedebat, obiectus, ad inexplicabilem avaritiam, ac crudelitatem exsaturandam abuteretur; quæ adeo molesta Patribus fuere, ut graves ad Suleimanum adversus Dragutem literas darent, quibus illum in intimiora Adriatici sinus se invexisse, majoribus triremibus, quæ in Corcyraeo Eripo in Syriam iter habituræ morabantur, insidias struxisse, multis, iisdemque gravioribus damnis Reipublicæ subjectos affecisse, conquerebantur; ac ne tot inultas injurias pateretur, sed in piratam Diis, hominibusque invisum animadverteret, flagitabant. Suleimanus ad Dragutis in Venetos infensum animum coercendum severiora mandata adhibuit: verum ea erat temporum ratio, adeo archipiratae illius ob rei militaris peritiam, qua plurimum pollebat, se se apud Turcas extulerat auctoritas, ut postea dissimulatione utendum Patres censuerint. Suleimanus Aleppo Byzantium regressus, Hibraimum legatum, qui adeptas a se adversus Tacmasum Persarum Regem victorias nuntiaret ad Venetos misit; cui de more excepto, vix ex publico adhibitus, quingenti aurei nummi dono dati, cum literis, ac muniberis, quæ ad Regem perferret, dimissus est; ac mox Aloysius Rhenerius legatus ad Suleimanum est designatus. Neque hoc anno Hierosolymitani milites quievere. Balthassar Intimilius, Joannes Varghes Hispanus Cypriis haud parva damna intulere. Senatus, qui superiori anno ne Hierosolymitanis equitibus Venetis illata.

Dragutes
cum classis
ad Apulia
oras urbem
Vestam diri-
pit.

Venetis per
literas de
Dragute cit
Suleimano
conquerun-
tur.

Suleimanus
Hibraimum
legatum Ve-
netias mit-
tit, ut gesta
contra Per-
gas enan-
ciet.

Aloysius
Rhenerius
legatus ad
Suleimanum
secundum
designatus.
Senatus de-
creta ob da-
mma a Hie-
rosolymita-
nis equiti-
bus Venetis
illata.